



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ  
Recentiores**

**Hay, John**

**Antverpiae, 1605**

Residentia Antipolana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

quasdam Scilanas amandatus est, quæ parochis destitutæ institutione indigebant. Cumque eò concessissent grassante peste, illos non solum Sacramentorum confessionis, & sacre Synaxeos, sed etiam victus, qui in ædibus nostris parabatur, administratione liberaliter iuuerunt.

In alia missione, à Collegii Rectore altetoque Sacerdote instituta, ingens constitit laboris fructus in confessionibus audendis, in sopiendis dissidentium controuersis, in reuocandis ad meliorem vitam peruersis. Baptismi sacramento initiati viginti quinque adulti, à cæco quodam doctrina Christiana imbuti. Is licet oculorum vsu destitutus, tantam tamen gerit Catechumenorum curam, ut si vel vnus è numero quantumuis magno desit, certior reddat continuò Patrem. Quod hoc pluri facimus, quo is, qui quondam numeratus est inter Catalanos, hoc est, idolorum sacrificulos, nunc post conuersionem factus sit Christianæ disciplinæ institutor.

## RESIDENTIA ANTIPOLANA.

**I**N hæc ordinariè versati sunt terni sacerdotes, in messe trium millium Christianorum. Baptizarunt hoc anno plusquàm quingentos. Experti sumus in hac gente religionem magnam & raram pietatis sensum in frequentandis sacramentis, obeundis supplicationibus, & disciplinis vsurpandis, aliisque operibus bonis exercendis, ac denique in omnibus magna facta est morum commutatio.

P. Visitator fundamenta jecit domus hospitalis, quæ magni est momenti. Quo die ad fastigium perducta est, post sacrum solemne & concionem, P. Visitator primus cepit inseruire pauperibus ibidem congregatis, aquam manibus eorum affundendo, easque flexis genibus osculando, quod exemplum viti primarii, qui præstò erant, omnes sunt secuti. Vnde in morem inductum est, ut in dies singulos quatuor Confraternitatis ad huiusmodi opera pietatis instituta Sodales eis victum apponant. Atque idem faciunt mulieres cum sui sexus infirmis.

Initia quoque data sunt Seminario puerorum, in quo in omni virtute bonisque moribus à prima ætatula educantur, secundùm leges Christianas, eorum capacitati consentaneas. Quæ res non solum necessaria est ad capeffendam veram doctrinam, & corrigendos Indorum mores, sed etiam facilis & suavis. Sustainantur omnes oriza à parentibus subministrata, aliisque eleemosynis.



synis. Occupationes eorum sunt artem legendi litterarumque for-  
mandi addiscere, aliâque præstare quæ puerilibus annis con-  
ueniunt.

Inductus erat alicubi vsus toto annò cantandi in honorem  
Deiparæ Virginis canticum Salve Regina, & feria sexta Quadra-  
gesimæ post lectionem spiritualem faciendi disciplinam in Eccle-  
sia. Cùm igitur Indi quidam, more in calidis regionibus consu-  
eto, in flumine se abluentes exaudirent campana signum dari, ad  
Salve & disciplinam mox se amictu resumpto in viam dede-  
runt. Vnus solus restitit, & irridens socios idioma suo dixit  
Acoi Ouian. id est: Afferte mihi inde aliquid: quæ formula est a-  
pud ipsos irridendi. Digressis aliis, ecce solum crocodilus (quod a-  
nimal in his regionibus est admodum ferox, & carnis humane per-  
cupidum) inuadit & interimit, antequam illi subsidium corporale  
vel spirituale suppeditari posset. Id verò admiratione non parua  
dignum fuit, cùm bellua hæc admodum vorax sit, hominesque  
occisos vel totos deuoret, vel pedem aut manum saltem auellat,  
hunc tamen integrum & illæsum reliquerit, quod Indi attribuerunt  
virtuti decantati cantici Salve & factæ disciplinæ.

#### RESIDENTIA DE ZEBV.

**H**Æc residentia est in prouincia appellata Pintrados, in qua  
major nostrorum pars degit, & Indorum salutis operam ma-  
nuant, quanquam ordinariè non agant ibi nisi tres Sacer-  
dotes & quatuor fratres. Locus est valde opportunus, quia hæc  
recurrunt omnes reliquæ residentie. Ministeria Societatis cum  
magno fructu ciuitatis exercentur. Ludus puerilis apertus est, &  
lingua Latina traditur. Anno proximè elapso Reuerendissimus  
Episcopus, officiales, & alii primarii viri litteris ad Majestatem Ca-  
tholicam datis exposuerunt, quanto cum fructu spirituali nostri in  
illis locis inter Hispanos equè ac Indos sua ministeria exercent,  
simulque enixè rogarunt, vt annuo aliquo prouentu residentiam  
illam stabilire dignaretur, quo diutius nostrorum laboribus frui  
possent.

Optimus antistes ille, cùm pedes, licet sexagenarius, diocesim  
suam iustraret, diuertit in eedes nostras, ac nobiscum ea submis-  
sione animi & familiaritate vixit, ac si vnus de nostris esset. Visi-  
tatione Diocesis absolutâ dicebat, se magnopere in ea admittentium  
feminarum modestiam & pietatem, rumore enim & sermone  
bus hominum iam dudum contrariam famam percrebuisse.